Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1853
Quelle:
Copyright:

denchet unser husgenozen, die nwlichen uerscheiden sint, Maister gumperhtes, unde meister wizeperh &c. In universum magni pretii mihi hoc priscae Pietatis et Linguae nostrae Monumentum videtur.

DCCLXIX.

R. 223 Codex chartaceus lat. Sec. XV. ineuntis Folior. 188. 4. currente calamo scriptus et minio distinctus continet: I. *Modum procedendi in sermones de sacramento corporis domini.* Orta est jam olim haec Inscriptio e primis Prooemii verbis: *De sacrosancto corporis domini locuturi sacramento proponimus donante deo procedere tali modo* &c. Atque hoc Prooemium deesse in Edit. *Rom.* 1570. Opp. S. *Thomae Aquin.* T. XVII. p. 43. jam *Vol.* I. quo plura retulimus horum de Eucharistia Sermonum Exempla, diximus, licet in pluribus Mss. et in vetusta a. 1472. edit. in f. quam *Arnoldi ther Hoernen Colon.* credimus, habeatur. Habetur vero etiam, postquam Praedicatoribus visum est, dictos Sermones a Discipulo ad Magistrum, videlicet *Albertum M.* transferre, in hujus edit. *Lugd.* 1651. T. XII. p. 247. f. Sermones numero XXXII. licet in *Codice* paullo aliter divisi sint, maximam partem Thema habent: *Venite, comedite panem meum* &c. *Prov.* 9. ut jam alibi dictum est. In *Codice* adscriptus est extravagans in illud: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* &c. *Joh.* 6. de Proprietatibus Hostiae.

II. *fol.* 57. p. 2. *Incipit genealogia gloriose virginis marie per fratrem thomam de diuersis sanctorum patrum dictis compilata.* Initium: *Sancta et superlaudabilis semper virgo dei genitrix maria ab eterno preuisa consilio dei predestinata, de diuersis ymaginibus et sermonibus prophetarum per spiritum sanctum significata* &c. Non Patrum modo dicta, sed apocryphas etiam traditiones de Parentibus *Mariae*, de Nuptiis *Johannis* Evang. &c. sequitur, quin et Commercium epistolicum *Ignatii, Mariae* et *Johannis* inserit. Titulus postremus est *de Glorificatione matris domini* ex *Mellicio*, dic *Melitone* spurio. Quis vero *Thomas* noster? Nescio, nisi *Thomas de Hales* sit *Anglus* Ord. Min. qui circa a. 1340. floruit, et Librum *vnum de B. V. M.* ut *Baleus*, *Pitseus*, *Tannerus*, *Waddingus*, vel *Vitam B. V. M.* ut *Gesnerus* tradit, reliquit, certe rarissimam.

III. *fol.* 73. *Incipiunt sententie Alexandri.* Brevissima Quaesita et Responsa lecta e Scriptis *Alex. de Hales* seu *Alensis* O. M. pariter *Angli* Doctoris irrefragabilis ✠ *Parisiis* 1245. Ineunt: *Hec est differentia inter amorem dilectionem et caritatem, quod amor est nature, dilectio voluntatis, caritas gratie* &c.

III. *fol.* 74. p. 2. *Sermones* multi vel potius Adparatus *homileticus* de Festis Domini et praecipue B. V. Mariae. Primus est *Sermo de Passione Domini* in illud: *Inclinato capite emisit spiritum Joh.* 19. hoc initio: *Vt passionem*